STATVTA INCLYTI AC HEROICI ORDINIS EQVITVM Immaculatæ Virginis.

In nomine Domini, Amen.

VLADISLAVS IV.

Dei Gratia REX Poloniæ, Magnus Dux Lithuanię, Russię, Prussiæ, Mazouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Seueriæ, & Czernichouiæ: necnon Suecorum, Gottorum, Vandalorumque, Hæreditarius REX. Electus Magnus Dux Moschouiæ.

AD perpetuam rei memoriam, Notum facimus: Nos vbi primùm, liberis & concordibus Polonæ ac Lithuanæ gentis Suffragijs, Maiorum nostrorum Solium conscendimus, Ensemq; illum, tot Diuorum Prædecessorum nostrorum Triumphis Nobilem, Sacrâ Antistitis manu, lateri Nostro accinctum,

ctum, ad ipsas Diuini Numinis aras strinximus; eo primam sollicitudinis Nostræ intentionem conuertisse, vt omnem subditorum Nostrorum in armis exercitationem, à Diuinæ Maiestatis honore & gloriâ auspicaremur. Hæc enim bellicosissimæ gentis pectora, quorum Nos antesignanum Devs *esse voluit, nullis tecta muris, aut propugnaculis, patentes Ditionum Nostrarum campos, sine peculiari Numinis ope, tueri, & nudâ fortitudine armatos Hostium impetus frangere haud queunt. Quò verò maiora cælitùs requirunt, recipiuntq; auxilia; eò ardentiùs Supernorum Castrorum, humili deuotione, expetant societatem, est necesse. Et quamuis vniuersa hæc Nobilitas, Equitum, vti munus, ita & dignitatem sustineat, paucíq; reperiantur, qui Patriorum institutorum obliti, prætextam non in Castris deponant: illis tamen quos generosiores spiritus, & ardor Nobilis, non sequi solùm, sed & præire, nec partem aliquam, sed to-*

ſed totam vitam gloriæ deuouere cogit, id peculiari ratione curandum eſt.

Horum ergo pectoribus, tremendum Barbaris, Crucis Sacroſanctæ clypeum parare volumus, Ordinem inſtituendo, quem ad DEI *Optimi Maximi, eiusq́; glorioſiſsimæ Matris honorem, erigimus, fundamusq́: certo numero virorum, ex omni Equeſtri Ordine; huiusmodiq́; Ordinis Militaris Equites* IMMACVLATAE VIRGINIS *appellari volumus, appellamusq́: & eis ſequentes Leges, vti primus Autor & Inſtitutor, præſcribimus.*

STATVTA, INCLYTI AC HEROICI ORDINIS, EQVITVM Immaculatæ Virginis.

I. *De Numero Equitum.*

NVmerus Confratrum, non excedet Septuaginta duos, præter Principem. Hic enim numerus discipulorum, Cælesti Principi placuit. Sed & Patronæ nostræ, tàm gaudiorum quàm dolorum Mysteria, Septenario numero terminantur.

II. *De Nobilitate.*

GEnus Equitum illustre, & quorum à Maioribus deriuata antiquitas, nullâ maculâ defœdata, nullâ suspicione in dubium reuocata.

De Pa-

III. *De Patria.*

CVm non solùm ad splendorem Ordinis Equestris, sed etiam ad emolumentum Ditionum Nobis subditarum, iste Ordo respiciat: Equites ex his subditis nostris, Regni Poloniæ, Magniq; Ducatûs Lithuaniæ, ac Prouinciarum ipsis annexarum, eligentur. Licitum tamen erit, Imperatores, Reges, Principes, Virosque Illustres exteros, in hunc Ordinem cooptare; modò numerum Viginti quatuor non excedant: reliquus numerus vsq; ad Septuaginta duos, prçter Principem, Nobilibus Subditis Nostris, constabit. Hoc præterea cauemus, neminem Exterorum (præter ipsos Ordinum Supremos & Monarchas) in hunc Nostrum Ordinem adsciscì posse, qui non priùs omnibus alijs militaribus renunciauerit Sodalitatibùs & ornamentis.

IV. *De Principe.*

PRincipatum huius Ordinis, Nos ipsi, quoad vixeri-

vixerimus, geremus: post fata verò Nostra, subsequentes Reges Poloniæ, liberè electi, vnà cum Regalibus insignijs, hunc Magistratum, eiusq; ornamenta, ipso Coronationis die (nisi priùs in numero eorūdem Equitum fuerint) capessent.

V. *De Insigni, siue Torque.*

INsigne Equitibus nostris dabimus, Torquem ex auro puro, absq; vllis lapidibus, vel vnionibus, cuius particulæ inuicem concatenatæ alternatim repræsentabunt: vna quidem, LILIVM ALBVM, in medio radiorum cum hac inscriptione; IN TE: altera verò fasciculos sagittarum colligatarum FASCIA ALBA, his verbis inscriptis; VNITA VIRTVS. Dependebit à Torque Crux rubea, in cuius medio conspicietur imago VIRGINIS INFANTIS candida, Draconem pedibus calcantis, his verbis suppositis: VICISTI, VINCE. Hoc Insigne Nos pro singulis Equitibus procurabimus,

bimus, vſque ad numerum Septuaginta trium.

VI. *De vſu illius.*

VTentur hoc Inſigni Equites, & ipſe Princeps, in omnibus Ordinis Conuentibus; tum in Feſtiuitatibus, Circumciſionis, Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, Corporis Dominici, & Natalis; tùm omnibus illis diebus, qui Sacratiſſimæ Cœlorum Reginæ, Patronæ Noſtræ, ſunt dicati: ſed potiſſimum die Conceptionis ipſius Immaculatæ, quem particulariter obſeruabunt, & eo ipſo ad Sacram Corporis Dominici communionem accedere tenebuntur. Hoc ipſum Inſigne gerent, Diebus quoque Sanctorum, Adalberti, Staniſlai, Caſimiri, & Franciſci. Reliquis verò diebus, Crucem ſolam, & quidem ſolemni minorem, ALBA FASCIA, è collo ſuſpenſam, deferent.

De Ha-

VII. *De Habitu.*

IN Conuentibus, & Solennioribus Ordinis Processionibus, Equites, gentis suæ more induti (dummodò purpurei coloris sit ille interior ornatus) desuper Pallio candido longiore, sinistram manum magis quàm dextram operiente, ex Panno Phrygio vestientur: subductum verò erit Panno Serico leuiori, purpurei item coloris, cuius superna pars circum humeros dependebit. Pileum item candidum gestabunt, eiusdem Panni, similiter subductum, cuius vertex radijs aureis, à summò ad medium prominentibus, pars verò anterior imagine Virginis Matris, auro & argento texta, ornabitur. Hunc verò Ornatum, vnusquisque Equitum proprio ære sibi curabit.

VIII. *De Sacello.*

SAcellum huius Ordinis erit Templum Pacis,

ad præ-

ad Præſepe SALVATORIS in Vrbe Cracouienſi, Patrum Minorum de Obſeruantia S. Franciſci curæ commiſſum : cuius ornamentorum præcipuam Equites curam gerent, ſepelirique corpora ſua (niſi ratio grauis, aut perſonæ reſpectus, teſtatoriſq; voluntas aliter diſpoſuerit) ibidem mandabunt.

IX. *De Officialibus Ordinis.*

OFficiales, Ordo hic, habebit duos, ex numero eorundem Equitum à Principe deſtinatos : Cancellarium nempè & Theſaurarium; quorum munera & functiones ex his ipſis Legibus patebunt.

X. *De Iuramento.*

EQues, antequam Torquem, Ordinis Inſigne capiat, Iuramentum in manibus Principis præſtabit, ſe Principis, ac Reipubl: ſalutem, dignitatem, & commoda, atq; Patriarum Legum & immu-

immunitatum prærogatiuas, post DEVM, eiusq; Deiparæ Virginis, Sanctæq; Matris Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ honorem, præ oculis habiturum. Si bellum à Barbaris & infidelibus ingruat, se pro virili obuiaturum, & vires suas collaturum. In bello, stipendijs contentum, à nemine quidquam extorsurum, nec extorqueri à suis permissurum, aliosq; Commilitones, quantum licebit, ab huiusmodi rapinis auersurum: rebellionibus, tumultibus, seditionibus, nunquam accessurum. Ne DEVS, eiusque MATER, se audiente, blasphemetur, vel cum vitæ periculo se oppositurum, eiusque cultum promoturum. Leges Ordinis, debitamq; Principi, secundùm Iura Reipublicæ, Obedientiam obseruaturum: denique Torquem, vti Ordinis Insigne, si, quod auertat DEVS, ob aliquod crimen, communi Equitum sententiâ, exclusus ab eorum Collegio fuerit, sine difficultate Principi redditurum.

XI. *Pri-*

XI. *Primi Equites qui, & quomodo accersiti.*

CVm verò Nobis, vti primo Authori, & Institutori huius Excellentiſſimi & Heroici Ordinis, competat primos, ex ſententiâ noſtrâ propriâ, nominare Equites; quibuſcum reliquum numerum in primo, DEO fauente, Conuentu, modo, quem paulò poſt proponemus, ſupplebimus: nominauimus, & his præſentibus nominamus, eos, quos iam excellentes virtutes, militaris gloria, Noſtri ac Reipubl: amor, merita deniq́ue in Patriam, & tot pro ea, cum ſummo vitæ & fortunarum diſpendio, exantlati labores, ſine Cenſurâ vel Electione, oculis. non Noſtris ſolùm, ſed omnium penè hominum obiecerunt: Nempè

XII. *In posterum qui eligendi.*

ABhinc verò, in Conuentu per Principem indicendo, quicunque ex Subditis Nostris in hunc Ordinem cooptari voluerit, hæc obseruet erit necesse.

Primum. Testimonio sufficienti Ducum & Præfectorum, & insuper Iuramento comprobet, se Orthodoxæ fidei esse professorem, & tribus expeditionibus aduersus Paganos, hostesq; Patriæ, in exercitu Ordinarij præsidij illorum limitum, sumptu fortunis suis accommodato, militâsse.

Deinde. Se vtroque Parente, Auis, & Proauis, (quos nominabit) Nobilem natum esse.

Hæc vbi declarauerit coram Ordinis Cancellario, Principem accedat, instrumentum authenticum, ab eodem Cancellario confectum, legitimæ deductionis offerat: tum demùm in Ordinem admitti petat.

Modus

XIII. *Modus Electionis.*

QVod si in illo Conuentu tot duntaxat candidati fuerint, quot ad numerum Septuaginta duorum desiderabuntur, vel pauciores; Princeps congregatis Fratribus, eorum nomina per Cancellarium Ordinis proponet, & Instrumẽta deductionum vt legantur, iubebit. His lectis, Equites, à Seniori inchoando, per Sacramentum Collegio toti dictum, adiuratos interrogabit, An contra lectas deductiones, ipsorumq; candidatorum mores, nil habeant, quod dicant. Tum in conclaue secretius secedet, ad quod Seniorem Equitem euocabit, & quid sentiat, ab eo exquiret; & sic deinceps singulos. Quod vbi absoluerit, in Collegium Equitum redibit, & si quid tale inaudiuerit, quod meritò quemcunq; Candidatorum ab Ordine arcere posset, publicè proponet, suppresso nomine Authoris; & An quisquam ex Equitibus reperiatur, qui secùs se rem habere nôrit, interrogabit.

Quòd-

Quòdsi repertus fuerit, causam notati dicere iubeat; & si maioris partis Collegij sententiâ liber pronunciabitur, cum reliquis quorum mores & deductionis Instrumentum ab omnibus Confratribus probabuntur, ipsius nomen scribetur: sin secùs, à Seniore Equite admoneatur, ex qua causa, huius dignitatis sit incapax, & ob quam ab Electione excludatur. Quòdsi Candidatorum maior fuerit numerus, quàm vt omnes eâ vice in Ordinem recipi, & ipsius Insignia capere possint, & omnium deductiones, moresq; irreprehensibiles: tum Princeps (vbi omnium Nomina à Cancellario lecta fuerint) per idem Sacramentum petet à Fratribus, vt eos, quos maximè meruisse sciant & credant, quosq; & Ordini, & toti Reipubl: maximo vsui futuros videant, nominent. Ad quam Principis postulationem, Equites, à Seniori ad infimum, consurgentes, suffragia scripta in vrnam demittent. Postremò ipse Princeps, Duo vel Tria dabit suffragia, secundùm parem vel imparem

parem

parem præsentium Equitum numerum: ita vt imparem omninò suis efficiat suffragijs, ad facilitandum Electionis negotium. Aperta à Cancellario & Thesaurario suffragia, & supputata, hos declarabunt nouos Equites, quos pluralitas suffragiorum dixerit.

XIV. *Exteri, quomodo admittendi.*

SI quis Principum, vel Virorum Illustrium exterorum, in hunc Nostrum Ordinem admitti postulauerit; aut Nos, vel Successores Nostri, aliquem eorum, Insigni hoc, honorare vellemus; id in Conuentu Ordinis erit proponendum. Vbi factâ suffragiorum collatione, si maior sententiarum pars eò inclinauerit: tum demùm, eum honorem illi Princeps conferet, & Insigne Ordinis, Torquem videlicet cum Cruce, per Cancellarium Ordinis, (si ex Monarchis, aut Maioribus fuerit Principibus; si verò ex alijs Viris Illustribus, per nouissimum Equitem) absenti transmittet: coram quo Iuramē-

tum soli-

tum solitum, vbi præstiterit, inter Missarum solemnia, tum demùm Torquem ex eiusdem manibus recipiet. Deductio Nobilitatis eius, ante Electionem (vti aliorum Equitum) examinabitur: ad militiam tamen in limitibus Russiæ exteri, qui noluerint, non obligabuntur, præcipuè Principes, qui aliâs retundendis Barbarorum conatibus vires ac facultates suas impendunt, & huic ipsi Regno, auxilio, vbi necessitas postulauerit, adesse queunt, modò tamen ex Viris Illustribus, non verò Monarchis, singulare aliquod meritum Reipubl: & Ordini, ex sententia Principis, totiusq; Collegij, præstent.

XV. *Qui huius Ordinis incapaces.*

QVicunq; proditionis reus, aut seditionis militaris author, vel ex purâ ignauiâ ex acie profugus, vel alicuius criminis execrabilis conuictus, ab hoc tam excellenti Collegio arcetor.

XVI. *De Conuentu.*

Con-

COnuentum Princeps indicet, quo tempore & loco viſum fuerit: ad quem accedere omnes Equites tenebuntur, niſi Legali impedimento præoccupati fuerint, vel ratio eminentis dignitatis impediuerit. Antequam autem prima dies Conuentûs illuxerit, Princeps in eo templo, quod celebrando Conuentui delegerit, ſuprà locum ſedis ſuæ, ſua propria arma, ſiue Inſignia; ſicque deinceps ſuprà ſingulorum Equitum ſedes, eorum itidem Inſignia, affigi curabit: quæ in eodem Templo in poſterum, ad memoriam celebrati Conuentûs, remanebunt. Die verò Conuentûs primâ, Equites, eo qui deſcriptus eſt Habitu, in Palatium Principis conuenient, eumq́; per ſeniorem Equitem accommodatâ ſalutabunt oratione: per Cancellarium Ordinis à Principe viciſſim, grati, & paterni animi reſponſum accepturi. Tum ex Palatio ad Templum prodibunt, bini præcedentes, à iunioribus vſque ad ſeniorem, qui immediatè Prin-

tè Principem præcedet, eodem cultu cum Equitibus, illo die & sequentibus, ornatum. Ad templum vbi venerint, suam quisque sedem occupabit, & Missam solemnem de Immaculatæ Deiparæ Virginis Conceptione, cantandam ab eo Prælato quem Princeps supremum Ordinis Pœnitentiarium declarauerit, debito cultu & reuerentiâ audient. Ad Offertorium vbi primùm Princeps processerit, singuli Equites suo sequentur ordine: & vbi apud Altare Offertorij munus tradiderint, Principem adibunt, eiusq; manum deosculabuntur, eo ipso se, post Deum eiusq; Sanctam, Catholicam, Apostolicam, Romanam Ecclesiam, Principi obediētiam secundùm Iura Reipubl: debere protestaturi. Sacris absolutis, in Palatium eodem Ordine Principē reducent, à quò solemni excipientur conuiuio.

XVII. *De loco Consilij.*

LOcus Consilij & Electionis Fratrum is erit, quem Princeps commodiorem iudicauerit, siue

Sacri-

Sacriſtiam vel Oratorium eiuſdem Templi, ſiue Principis Palatium: Inſignia tamen Ordinis, in Templo Fratres capient, inter Miſſarum ſolemnia, antequam cantetur Euangelium.

XVIII. *Quid in Conuentu tractandum.*

TRactabuntur verò in Conuentibus. *Primò*, Ordinis Electiones. *Deinde*, Equitum de vitâ & moribus examinationes & correctiones; ita vt de ſingulis, vniuerſi Conuentûs quæratur Iudicium. Et ſi quis excellens quidpiam præſtiterit, in publico non Equitum ſolùm ſed & aliorum, qui adeſſe voluerint, conſeſſu, à Cancellario laudator: qui verò contra leges & conſuetudines Ordinis deliquerit, Eleemoſynam in ærarium Ordinis inferet, quæ tamen ad ſummum centum Vngaricos excedere non debebit. Enormium deniq; criminum reus, ab Ordine proſcribitor. Si quid præterea occurret, quod vel ad gloriam Ordinis, vel ad vtilitatem Reipubl: Polonæ, vel totius Chriſtianitatis pertineret,

tineret, ad hunc ipsum Cõuentũ eiusq; deliberationem referendum erit, in his duntaxat quæ ad eorum munus spectant. Hoc prætereà Conuẽtu durante, Thesaurarius Ordinis coram deputatis Equitibus, expensæ in redemptionem Captiuorum, vel sustentationem egenorum Militum pecuniæ, rationem reddet: vt Ordini constet, quid ab vltimo Conuentu ex eorum peculio præstitum sit Christianæ Charitati, quam Equites, vti Ordinis sui vnicum scopum, præ oculis habebunt. Denique, si Reipubl: necessitas & voluntas postulauerit, aliquorum vti ex Confratribus operâ, (in omnem Reipubl: casum) hoc ipso Conuentu, quid muneris vnusquisq; Fratrum capere possit, determinandum.

XIX. *De Exteris in Conuentu.*

EXteri Equites, qui aut propter eminentiam personarum, Regnorumque vel Prouinciarum gubernationem, aut propter alias magni momenti occupationes, aut denique ob infirmitatem, Con-

tem, Conuentui interesse non poterunt, per Procuratorē negotia sua, si quæ intercesserint, peragent; dummodò ille sit vnus è numero Equitum. In Electione tamen absentium suffragia non connumerabuntur: sed si reus absens alicuius criminis accusaretur, Procuratori licitum erit causam eius suscipere & defendere.

XX. *De Præcedentia.*

INter Equites, hic Ordo obseruabitur. Primùm Monarchæ & Principes sanguinis Regij; post hos, Senatores Regni qui in Ordine hoc fuerint, secundùm ea loca quæ in Senatu obtinent; reliqui, siuè sint Officiales Curiæ Nostræ, siuè non, solâ temporis, quo insignia Ordinis suscepêre, prærogatiuâ gaudebunt; quod de Conuentibus duntaxat Ordinis intelligendum est: Saluis per omnia præeminentijs & præcedētijs quorumcunq; Officialium, secundùm vsum & consuetudinem Reipubl: siue sint Officiales Curiæ No stræ, siue Palatinatuum & Terrarum.

De Pecu-

XXI. *De Peculio Ordinis.*

VT autem habeant Equites, vndè captiuis, & egenis Militibus succurrere possint: Primùm quidem eo die, quo in numerum hunc cooptati fuerint, singuli conferent Centum Nummos aureos. Deinde quidquid siuè prædæ, siuè mãcipiorum bello iusto acquisiuerint, horum omnium pretij dimidiam partem, ad Thesaurarium Ordinis remittent, sub vinculo Iuramenti præstiti. Deniq; legare & donare eo erit licitum, quod cuiq; non Confratrum solùm, sed & aliorum, exemplo hoc excitatorum, pietas mandauerit. Quod de bonis mobilibus tantùm est intelligendum.

XXII. *Huius pecuniæ Erogatio.*

HIs modis collectam pecuniam, Thesaurarius Ordinis, Principi & Reipubl: Iuramento obstrictus, ad nullum alium vsum conuertet, præterquàm in eliberationem captiuorum Militum,

tum , vel ſuſtentationem indigentium, præcipuè Confratrum: idq́; pro arbitrio Principis & Equitum præſentium.

XXIII. *De Fratribus Defunctis.*

ABſoluto quouis Conuentu, Princeps & Equites pullati, in idem Templum è Palatio deſcendent, ibiq́; pro animabus defunctorum Fratrum, Sacris intererunt: concionantemq́; Supremum Ordinis Pœnitentiarium, de virtutibus & rebus geſtis Defunctorum, ab vltimo Conuentu Confratrum audient; vt & mortuis laus conſtet, & viui præclarè factorum exemplis, ad virtutem gloriamque excitentur.

XXIV. *Quid vnicuiq; Defuncto debeatur.*

VBi ad notitiam Confratrum mors Confratris deuenerit, ſinguli Equites pro illo Defuncto Triginta Miſſas abſolui curabunt: ipſi verò totidem vicibus, *Salue Regina, &c.* recitabunt.

De Se-

XXV. *De Sepultura Equitum.*

COnfratrum mortuorum corpora, quibuscunque per distantiam locorum, occupationesq; publicas, aut infirmam valetudinem, licuerit, ad sepulchrum comitari, & quàm maximam etiam Mortuo demonstrare charitatem, ad declarandum tam Inclyti Ordinis vinculum, volumus.

XXVI. *De Egenis.*

SI quis Equitum, non suâ culpâ, sed aliquo infortunio, ad tantam deuenerit egestatẽ, (quod Conuentui erit declarandum) vt sine probro Nobilitatis, Equestrisque dignitatis, viuere nequeat; huic communi Confratrum ope erit succurrendum: tenebiturque vnusquisq; Equitum, id præstare Indigenti, quod vniuerso Conuentui visum fuerit. Si verò stultâ prodigalitate, vel apertâ rerum suarum incuriâ, aut supinâ ignauiâ, in eam inciderit inopiam, Princeps ab

eo Tor-

eo Torquem repetet: prouidendum enim erit, ne & ille opprobrium ſit Ordini, & alij, præcipuè Iuniores, prauo corrumpantur exemplo.

XXVII. *De Torque remittendo.*

HÆredes defuncti Equitis, Torquem intra trimeſtre remittere ad Theſaurarium Ordinis, vel ipſum Principem, tenebuntur. Quod ſi verò quiſpiam Equitum, per incuriam, vel caſu fortuito, Torquem amiſerit; tantum auri in Theſaurum Ordinis inferet, quantum ad nouum conficiendum requiritur.

XXVIII. *Geſta Ordinis.*

CAncellarius Ordinis, ad excitandos Fratrum Noſtrorum animos, præclara ſingulorum geſta, & totius Ordinis inſignia facinora, literis conſignabit: vt eorum perennet memoria, quorum virtus, & animi magnitudo, Orbi confert perennitatem.

De Pra-

XXIX. *De Pralato.*

NOminabimus itidem vnum ex Prælatis, qui Nobis, & Noſtris in poſterum Succeſſoribus, viſus fuerit; qui tantùm Sacra publica Ordinis in Conuentibus peraget, & Defunctos Confratres pro Concione laudabit: geretque talem Crucem, qualem Equites extra ſolenniores, feſtoſque dies, geſtabunt.

XXX. *De Confraternitate.*

VT verò IMMACVLATAE VIRGINIS honor augeatur, & ergà hanc potentem Ordinis Noſtri Patronam, deuotio latiùs diffundatur: petemus à Sanctiſſimo Domino Noſtro PAPA, Archiconfraternitatem huius ipſius IMMACVLATAE DEIPARAE VIRGINIS (quam Fratres Minores de Obſeruantiâ S. Franciſci, eodem in Templo Pacis, ad Præſepe Saluatoris, in Vrbe Noſtrâ Regiâ inſtitu-

ſtituent) approbari. Quæ non ſolum Equitibus Inclyti Ordinis huius, ſed omnibus Chriſtifidelibus vtriuſque ſexûs, communis erit, more aliarum in Religionibus Confraternitatum. Huius tamen Confraternitatis Sodales non Equites, nulla ratione Crucem, aut alia Ordinis Noſtri inſignia geſtare præſument: ſed Imaginem duntaxat Virginis Infantis candidam, ex auro fuſilem, Draconem pedibus calcantem, cum hac circumſcriptione: *Dignare nos, laudare te, Virgo Sacrata.* In his autem omnibus Statutis, & eorum articulis, punctis, clauſulis, & conditionibus, leges, Iura Reipubl: & Nobilitatis Regni, & M. D. Lit. immunitates, & prærogatiuæ, ſecundùm veterem Reipublicæ conſuetudinem, & patria inſtituta, ſacroſanctè obſeruabuntur.